

CODICIS MEDICAMENTARII

MATERIA MEDICA.

MATERIÆ È MINERALIBUS, VEGETAN- TIBUS ET ANIMALIBUS DESUMPTÆ.

I. MATERIÆ È MINERALIBUS DESUMPTÆ

Quibus nonnullæ annumeratæ sunt, quantumvis à Ve-
getantibus originem ducant, præcipue Salinæ, quæ à
Chymicis officinis majoribus in usum Medicum sup-
peditantur.

ACETAS Cupri crudus. — Ærugo.

ACETATE de Cuivre brut. — Vert de Gris.

Sal, Acetate Cupri solubili, et Sub-Acetate non solubili mixtum. In
massas concretum ex viridi cœrulescenti, quas ovium pellibus invol-
vere solent. Cuprum intènsè sapit, inquinatur particulis Cupri me-
tallicis, et mixtis vinacarum reliquis.

Conficitur ex Cupreis laminis, quas vinaceis contegunt, et sic erodi-
sinunt, dum fermentant vinacea.

ACETAS Cupri in crystallos concretus. — Crystalli Veneris.

*ACETATE de Cuivre crystallisé. — Verdet ou Cristaux
de Vénus.*

Paratur ex Acetate Cupri crudo Aceto soluto, et concreto in

crystallos bacillis in ipso liquore suspensis cohærentes, formâ pyramidis quadrangulâ, apice truncò, primum obscurè et intensè virides, aëris deinde contactu pallidiores et cœrulecentes, aquâ omnino solubiles.

ACETAS Plumbi in crystallos concretus. — Sal vel Saccharum Saturni.

ACETATE de Plomb crystallisé. — Sel ou Sucre de Saturne.

In officinis, magnâ sub mole, in artium usus, apparatur. Aquâ solvitur, colore albo, sapore subdulei, quasi Sacchari, sed styptico.

Acidum Arseniosum. *Vide OXIDUM Arsenici.*

ACIDUM Muriaticum. — Spiritus Salis. — Acidum Hydro-Chloricum. N. R. (1).

ACIDE Muriatique. — Esprit de Sel. — Acide Hydro-Chlorique.

In officinis majoribus paratur; liquidum est, colore flavo, fumos emittens, nec sincerum sic habetur, multos tamen in usus aptum satis, nec ad usus ipsius Pharmaceutices ineptum, si pro externis tantum præparandis adhibeatur.

Densitas ipsius subsistit inter 1 ,17 et 1 ,21.

ACIDUM Nitricum. — Spiritus Nitri.

ACIDE Nitrique. — Esprit de Nitre.

Liquidum est, et colore carens si purum, fumosque emitit albantes; densitate inter 1 ,30 et 1 ,37 subsistente. Cutem et organicas materies flavo colore inficit. Ex Nitrate Potassæ elicetur, mediante Argillâ, aut etiam Acido Sulfurico.

ACIDUM Sulfuricum (2). — Oleum Vitrioli.

ACIDE Sulfurique. — Huile de Vitriol.

Oleum lentore mentitur, colore caret. Densitas est 1 ,842. Organicae

(1) Scilicet nomenclaturà recentiori.

(2) Cum *Sulfur* aut *Sulphur* æquali veterum auctorum gravitate scribere licet, neque haec vobis à Græco fonte dedicta sit, in ipso formulärum Codicē inscribere plerumque præstamus *Sulfur*, *Sulfuricus*, *Sulfuretum*, etc.

materies eo instillato nigrescunt. Elicitur è Sulfure combusto, admixto Nitrate Potassæ.

Ærugo. *Vide ACETAS Cupri Crudus.*

Alumen. *Vide SULFAS Acidus Aluminæ.*

Antimonium Crudum. *Vide SULFURETUM Stibii.*

Antimonium Regulinum. *Vide STIBIUM.*

AQUA. — Oxidum Hydrogenii.

EAU. — Oxide d'Hydrogène.

Constat ponderibus Oxygenii et Hydrogenii quibus habetur Oxygenii ratio o ,88 Hydrogenii verò o ,12.

Varios, pro ipsius origine et soli undè scaturit naturâ, præ se fert sinceritatis gradus. Sequentes præcipue annotari merentur Aquæ.

AQUA Fontana.

EAU de Fontainè.

Pro terrarum quas permeat varietate, varias quoque materies secundum trahit et solvit. Sepiùs oneratur Carbonate et Sulfate Calcis.

Id ipsi commune cùm aliis est, ut quod plus aëris ex atmosphærâ soluti ipsi inhæserit, eò sentiatur gustu suavior, et alimentorum digestioni faveat melius.

AQUA Pluvialis.

EAU de Pluie.

Si post tempus aliquod elapsum ab imbris initio, in vasis siliceis sicutilibus, aut faventinis, aut vitreis, ab ipsâ atmosphærâ, decidua excipiatur pluvialis Aqua, tectis et colliciis non mediantibus, aëre saturabitur et invenietur omnium ferè purissima.

AQUA Fluvialis.

EAU de Rivière.

Ut ex terris undè scaturit fontana, ita et ex alveorū per quos decurrit constitutione naturam mutuatur suam Fluvialis Aqua. Sequensis, antequam Parisos aliuat, inter purissimas numeratur; quamvis Sulfatis Calcis aliquantulum teneat, et Materiæ ex Vegetabilibus solutæ.

AQUA Mineralis.

EAU Minérale.

Hoc nomine insigniuntur Aquæ, quas ex ipsis scaturiginibus inserviant materiæ, quarum vis aliquam mutationem corpori in quod ingeruntur asferre valet.

Variis quoque distinguuntur nominibus, pro naturâ et vi solutorum variâ.

Sic habentur quas dicunt Acidulas, Alkalinas, Salinas, Sulfuratas, Ferruginas seu Martiales.

AQUA ipsa in GLACIEM concreta, sive medicos ad usus, sive in Pharmaceuticis operibus utiliter adhibetur.

ARGENTUM.

ARGENT.

Metallum album, splendidum, facilè ductile, patiens mallei, fusile; in oxidum solâ ignis vi non vertitur. Ponderis ad aquam ratio æquat 10,474.

ARGILLA.

ARGILLE.

Terris constat siliceâ, alumineâ, et Aquâ simul variâ ratione unitis; quibus sepè accedit, causa coloris, oxidum ferri.

In usu apud Medicos quondam fuit duplex Argillæ varietas,

1º. ARGILLA Ferruginea rubra. — Bolus Armeniæ.

ARGILLE Ochreuse rouge (Hauy). — Bol d'Arménie.

Colore rubro intensiori; majori oxidii ferrei ratione ipsi commixta, concreta in Massas densiores, ponderosiores; Aquæ si tantummodo ipsam immerseris, non facilè diluitur.

2º. ARGILLA Ferruginea pallidior. — Terra Sigillata.

ARGILLE Ochreuse pâle. — Terre Sigillée.

Cujus albedo roseo leviter colore inficitur. Jam antequam venalis asportetur Aquâ diluta fuit, et compacta in cylindros orbiculosve compianatos, et sigillatos.

Arsenicum album. *Vide OXIDUM Arsenici.*

Arsenicum Luteum. *Vide SULFURETUM Arsenici Luteum.*

ASPHALTUM. — BITUMEN Judaicum.

ASPHALTE. — Bitume de Judée.

Solidum, fragile, nigrum, nitens; confictum electricam vim exerit; si incalescat odorem proprium spargit; dum verò comburitur fumum exhalat densissimum odore intenso, acerrimo.

Auripigmentum. *Vide SULFURETUM Arsenici Luteum.*

AURUM.

OR.

Metallum flavescens, splendidum, maximè ductile, et mallei patientissimum. Fusile Argento minus, neque fusum ignis vi immunitatur. Ponderis ratio habetur. 19 ,257.

BISMUTHUM. — Wismuthum.

BISMUTH.

Metallum ex albo flavescens, fragile, lamellis coagmentatum, maxime fusile, in oxidum igne vertitur. Ponderis autem ratio est 9 ,822.

Nota. Ex eo Bismuthi paratur quod vocant *Album*, sive *Pigmentum album* ad fucandam cutem, *Magisterium quoque dictum Bismuthi* aut *Bismuthi oxidum*.

BITUMEN.

BITUME.

Sic vocantur quæcumque ex minerali regno, è vegetabili tamen ortum ducentes, ignem alere nate sunt Materiæ. Quas inter *Asphaltum*, *Gagatem*, *Naphtham*, *Petroleum*, *Electrumque seu Succinum* numerant, è quibus Medicamenta aut eliciebantur olim, aut apud nos etiamnū parantur.

Bitumen Judaicum. *Vide ASPHALTUM.*

Bolus Armeniæ. *Vide ARCILLA.*

BORAS (Sub) Soda. — Borax.

Sous-BORATE de Soude. — Borax.

Salem hunc mittunt India et Sinarum regio. Expurgant Europæ; et indè parant crystallos albas, disjunctas, formâ plerisque abnormi, superficie opacas, sapore salis alkalino. Igne intumescit primò, deindè liquatur Borax, et in vitri speciem frigescendo concrescit.

Borax. *Vide* Soda.

CALX. — Oxidum Calcii. N.R.

CHAUX. — Oxide de Calcium.

Alkaliū præfert characteres. Eruitur ex carbonate calcis nativo, quem lapidem calcarium nominant, igne exusto, acido, dum exuritur, evanescere; massas constitut albantes, aut aliquantulum cineritias, primò duras; aëris contactu deindè deteritur, et solvitur in pulverem. Aquæ immersa calx, dum in partes resolvitur, dat sibila, vapores emittit aquosos, et magnoperè incandescit. Ægrè tamen Aquæ solvitur.

CARBONAS (Sub) Calcis.

Sous-CARBONATE de Chaux.

Sal Aquæ minimè soluble: ex eo nascentur *Creta et Marmor*; que Chimicis operibus inserviunt plurimis. Acidis mineralibus assusis vivide fervet hic Sub-Carbonas, salesque suppeditat Aquæ solubiles, et quantacumque aquæ copiâ solvantur, facilè agnoscendos, ubi aguntur præcipites affuso ammoniæ oxalato.

CARBONAS (Sub) Magnesiæ. — Magnesia alba.

Sous-CARBONATE de Magnésie. — Magnésie blanche.

Sal aquæ vix soluble, prodit ex mutuâ elementorum permutatione inter Magnesiæ sulfatet et carbonates Alkalinos aquæ solutos. Arte cogitur aut in cubos aut in parallelipipeda; Candidissimum, levissimum, friabile.

Violarum cœruleum colorem viridi commutat; acidis dum solvitur effervescit.

CARBONAS (Sub-) Plumbi.

Sous-CARBONATE de Plomb.

Sal album aquâ insolibile. Non uno paratur modo. Aliquando habetur squamarum formâ durarum et densissimarum, et plumbum album dicitur (*Blanc de Plomb*), alias in placentas concrescit friabiles et vocatur Cerussa (*Céruse*). Has autem formas induit prout aut Sal præceps agitur quod dissolutum erat, aut terendo, aquâ mediante, paratum fuit.

Acidis dûm dissolvitur vividè effervescit; calamo fusorio in metallum vertitur.

CARBONAS (Sub) Potassæ.

Sous-CARBONATE de Potasse.

È combustis vegetabilibus nascitur; formas præfert varias, varios et sinceritatis gradus; pro regione è quâ advehitur, modoque parandi variis distinguitur nominibus.

1°. *Potassam* dicunt *Americanam* (*Potasse dure d'Amérique*) eam, quæ venit massarum formâ igne fusarum, lapideâ specie et duritie. Sæpius rubro colore inficitur; humorem in se contrahit aëreum, sapore urente caustico, alkalinis partibus prædives.

2°. *Potassa Perlasse* (*Potasse Perlasse*). *America* quoque advehitur, albissima, glomerata. Multi estimatur, præpotente alkalina parte.

3°. Proximè accidunt *Russica*, *Dantiscana*, *Rhenana* et aliæ. Omnibus, præter ipsam Potassam et ipsius Sub-Carbonatem, inest Sulfas quoque et Murias, et siliceum argillaceumque aquâ non solubile sedimentum.

4°. *Cineres Clavellati* (*Cendres grivelées*). Parantur combustis vini fecibus; iisdem quibus Potassæ prædictæ abundant salibus.

5°. *Sal Tartari* (*Sel de Tartre*). Fit è combusto tartaro, sive crudo, sive puro. Solutum aut semel, aut bis si fuerit, evadit purum. Constat Sub-carbonate ferè puro Potassæ; sed saepius quod venale est, mixto Potassæ sulfate adulteratur. Eligendum est album, et quod plenè et facilè aquæ frigidæ mediocri copiâ solvi queat.

CARBONAS (Sub) Sodaæ.

Sous-Carbonate de Soude.

Nativus habetur ex lacibus in Ægypto et Hungaria, aquâ solis et aëris vi in vapores diffusâ. *Natrum* (*Natron*) vulgo vocatur. Verumtamen nostrâ in Gallia obtinetur ex cineribus herbarum ex ipso mari, aut juxta maris oras collectarum; vel etiam chymicâ arte eruitur ex Soda Sulfate. Qui venumdatur, impurus, vocatur *Soda*, que modò dicitur *Alicantina* (*Soude d'Alicante*), modo aliter, ducto scilicet nomine ab ipsâ regione undè venit oriundus. Vocatur etiam *Soda arte facta*.

Verùm ut multis tunc inficitur heterogeneis aquâ solvi et in cristallis deduci indiget, ut purior evadat; et tunc Sal Soda seu Soda Sub-Carbonas meritò nuncupatur.

Albus tunc esse debet; crystallorum intima pars pellucet, extima aëris contactu in pulvorem fatiscens opaca fit; igne liquefit, et sic, amissio quod humoris inest, fit his tertia parte minor. Alkalimum sapit, violarum colorem in viridem mutat, acidis admixtus effervescit.

Cerussa. *Vide* CARBONAS Plumbi.

CHALCITIS.

LE CHALCITIS.

Hoc nomine quondam innotuit inter Mineralia quoddam mixtum sulfate et oxido ferri rubro. Hujus hodiè obsolevit usus, ob incertam utriusque oxidi et sulfatis rationem, modò uno, modò alio plus minusve superante; atque insuper admixto quoque ferè semper Cupri Sulfate. In ipsius locum, Sulfas Ferri purus, igne exsiccatus, benè subjicitur.

Chloruretum Sodii. *Vide* MURIAS Sodaæ.

Cineres Clavellati. *Vide* CARBONAS Potasse.

Cinnabari et Cinnabaris. *Vide* SULFURETUM Hydrargyri.

Colcothar. *Vide* OXIDUM Ferri rubrum.

Creta alba. *Vide* CARBONAS Calcis.

Crocus Metallorum. *Vide* OXIDUM Stibii Sulphuratum semi-vitreum.

CUPRUM.

CUIVRE.

Metallum ex rubro roseum, mallei patiens, igne fusile, et ipsius vi in oxidum facile mutabile. Ponderis ratio habet 8 ,895.

Electrum. *Vide SUCCINUM.*

FERRUM.

FER.

Metallem ex cinereo cærulescens; ductile, durum, tenacissimum, fibris, granulis, aut lamellis, pro variâ methodo quâ cuditur, compactum. Ponderis ratio æquat 7 ,788. Magnetem sequitur.

GAGATES.

JAYET. — Jais.

Bitumen nigrum, durum, fragile; expolitum nitorem inducit splenditum, quædam hujus frustula produnt sèpè structuram organicam, lignæ originis non obscurum indicium. Oleum acidumque ignis vi destillando suppeditat.

Gypsum. *Vide SULFAS Calcis.*

Hæmatites. *Vide OXIDUM Ferri rubrum.*

HYDRARGYBUM. — Mercurius.

MERCURE. — Vif-Argent.

Metallum album, argenti nitorem præferens; liquidum habetur vulgo; nec concrescit nisi sub frigore 50 ^{cent.} Bullit autem, si incaluerit ad gradum 550; igne destillat in excipula purum et intemeratum.

Hydrochloras Ammoniæ. *Vide MURIAS Ammoniæ.*

Karabe. *Vide SUCCINUM.*

LAPIS Armenus.

Antiquis in formulis non rarus; nunc nullius usùs: nec vacabat omniprevallo, etenim ferè omnino constat Carbonate Cupri.

Lapis Calaminaris. *Vide OXIDUM Zinci.*

Lithargyrum. *Vide OXIDUM Plumbi fusum.*

Magnes. *Vide* OXIDULUM Ferri magneticum.

Magnesia alba. *Vide* CARBONAS Magnesiae.

Magnesia nigra. *Vide* OXIDUM Manganesii.

Marmor. *Vide* CARBONAS Calcis.

Mercurius. *Vide* HYDRARGYRUM.

Minium. *Vide* OXIDUM Plumbi rubrum.

MURIAS Ammoniæ. — Sal Ammoniacum. — Hydrochloras Ammoniæ. N. R.

MURIATE d'Ammoniaque. — Sel Ammoniac. — Hydrochlorate d'Ammoniaque.

Olim asportabatur ex Ægypto, nunc in Galliâ ipsâ conficitur. Prostat placentarum formâ rotundâ, convexâ superiùs, inferiùs concavâ, specie quasi glaciei.

Sal est sapore pungens, volatile, aquâ soluble, cui si affundatur Argenti Nitrâs, Murias argenti præceps agitur; affusis autem fixis Alcalibus, expeditur et emanat Ammonia.

MURIAS Sodaë. — Chloruretum Sodii. N. R.

MURIATE de Soude. — Chlorure de Sodium.

Compactum in enormes massas, propriis fodinis extrahitur album Sal et pellucidum; nonnunquam ab Oxidis metallicis colores mutuantur varios; in cubos dividitur, et nomen habet *Sal gemmæ*.

Præterea multis in fontibus, lacubus, sed præcipue Mari aquâ solutum excipitor; undè vel sponte vel artificiis variis, vaporante Aquâ, concrescit; et dicitur tunc *Culinare Sal, Sal Marinum*.

Sapor ex eo percipitur purè Salinus, notissimus; pars una aquæ frigidæ partibus solvit tribus; nec aqua bulliens ipsius majorem multò solvere valet copiam. Affuso Argenti Nitrate, Muriss Argenti præceps agitur multus; ab affuso autem Platinæ Muriate non iumentatur.

NAPHTHA.

NAPHTHE.

Inter Bitumina purissimum, liquidissimum, facilimè diffusens, colore ferè carens, maximè volatile, odore penetrantè nec ingratu.

Natrum. *Vide CARBONAS Sodæ.*

NITRAS Potassæ. — Nitrum. — Sal nitrum.

NITRATE de Potasse. — Nitre. — Salpêtre.

Quibusdam in regionibus terræ superficie innascitur; gignitur in locis humidis humilibusque, quos inhabitant animalia. Apud nos saepius ex detritis murorum ruderibus lixiviat facta extrahitur; liquori deinde additur soluta Potassa; indè dissociati Nitratis Calcis et Magnesia Acido, augetur copia Potassæ Nitratis; qui, deductis expurgatisque non semel crystallis, purus demùm obtinetur.

Hujus crystalli formantur in prismata longiora, canaliculata, varie translucida; quorum sapore lingua pungit et perfunditur frigore non ingrato; Pruni injectus lucidè flagrat Potassæ Nitræ.

Nitrum. *Vide NITRAS Potassæ.*

OXIDUM Arsenici album. — Arsenicum album, hodiè, Acidum Arseniosum.

OXIDE blanc d'Arsénic. — Arsénic blanc.

In fordinis Cobalti Arsenicalis, dum ustulatur Cobaltum, in transversum camini spiraculum concrescit, venundatur in massas concretum superficie opacas, intus, si rumpantur, pellucidas, fracturâ quasi vitrâ. Ponderis ratio 5 ,000, teste de Born. Caloris vi in fumos albitantes solvit, allii odore; aquâ parvè solvit; indeque, addito Hydrogenio Sulfurato, seu Acido Hydrosulfurico, præceps agitur flavo colore. Ceteris Oxidis Acidorum more jungitur, et idèo Acidi Arseniosi nomine insignitum hodiè fuit.

OXIDULUM Ferri Magneticum. — Magnes.

OXIDULE de Fer magnétique. — Aimant.

In massas concretum habetur solidas, graves, aut sub nigras, aut fuscas, aut cinericias, vi Ferrum trahente bipolari; ipsique Acui Ma-

gnetice paribus respondens polis, sive oppositis appetat, sive similibus repellat: ad probandam Ferri Scobem inservit Magnética vis.

OXIDUM Ferri rubrum. — Colchotar. — Lapis Hæmatites.

COLCHOTAR du commerce, et Oxide de Fer Hématite, etc.

Colchotar à majoribus officinis olim sufficiebatur; Lapis, fibris veluti compactus, è ferreis fodinis effossus, in pulverem tritus sanguinem colore simulatur. Hodie Oxidis rubris arte certa paratis, et quorum natura optimè nota est, longè præstat uti. (*V. SECT. VII, III n° 5, p. 214.*)

OXIDUM Manganesi nigrum. — Magnesia nigra.

OXIDE noire de Manganèse. — Magnésie noire.

Concretum in massas glomeratas, graves, crystallinas, intus metallico Ferri nitore; differt ab Antimonii Sulfureto, quod igne non liqueatur, et quod, Acido Hydrochlorico affuso, Chlorum inde, seu Acidum Moristicum Oxygenatum, expediatur.

OXIDUM Plumbi fusum. — Lithargyrum.

OXIDE de Plomb fondu. — Litharge.

Gignitur in catino *docimastico*, dum probatur Argentum Plumbo commixtum. Concrescit in micas splendiidas aut ex flavo rubras, Acido Nitrico solubiles. Asportatur ex Angliâ et Germaniâ. Germanicum autem, cum Ferro et Copro adulteretur, non admittiatur ad ea confiencia quæ ad Chymicam artem pertinent.

OXIDUM Plumbi rubrum. — Minium.

OXIDE rouge de Plomb. — Minium.

Habetur pulverulentum, grave, colore rubro, aurantiaco, splendido; gignitur cauta et protracta Plumbi ustione; si verò calorem ferat violentiorem, discedente oxygénio, liquatur et in Lithargyrum immutatur. Calamo si probetur fusorio, in globum metallicum vertitur.

OXIDUM Stibii Sulfuratum semivitreum.

OXIDE d'Antimoine Sulfuré demi-vitreux.

Constat Oxido Stibii cum Stibii Sulfureti copiâ majore quam ut gignatur Oxidum Stibii Sulfuratum vitreum.

Tunc obtineatur cùma, ustulato Stibii Sulfureto, Oxidum Sulfuratum

cinericium, quod indè prodit, crucibulo fusum liquatur. Massas constituit opacas, fragiles, fuscas, metallico splendore nitentes.

Apud Pharmacopolas inscribitur antiquo nomine *Croci metallorum* (*Safran des métaux*), et in locum hujus præparati, quod jam nunc obsoletum, vulgo sufficitur.

OXIDUM Sulfuratum Stibii vitreum. — Vitrum Antimonii.

OXIDE d'Antimoine sulfuré, vitreux. — Verre d'Antimoine.

Specie vitri complanati, rubri, pellucidi, hyacinthino colore, constat Oxido Stibii et sulfureto simul fusis: eodem quo prædictum Oxidum paratur modo, verum majori ignis vi liquatur, fusumque in tabulas planas nitentes non antè affunditur quam perfectè demum pellucere videatur. Præter Oxidum Sulfuretumque Stibii, quo constat, accedit ipsi et Oxidum ferri, ex ferri sulfureto, semper sulfureto stibii admixto, et Silicis aliquantulum ex ipsis mutuatum crucibulis. Quidam arbitrantur hanc silicem non nihil ad ipsius Oxidi pelluciditatem conferre.

OXIDUM Zinc nativum. — Lapis Calaminaris.

OXIDE de Zinc natif. — Pierre Calaminaire.

Oxido Zinc aquâ in hydratem verso, Silice et sèpè etiam Oxido Ferri admixtis, cum Calcis Carbonate et Aluminâ, non constanti singulorum ratione, constat hæc matieres, quam lapidem dixere Calaminarem. Massas constituit formâ abnormi, graves, aut albantes, aut cinericias, aut etiam subrubras, fracturâ minutis particulis asperâ. Acido Sulfurico dilutiori ex parte solvitur, et abit in crystallos Sulfati Zinci proprias.

Quibusdam unguentis admixtum fuit.

PETROLEUM.

PETROLE.

Bitumen liquidum, fuscum, lentore vario, odore intenso, ex parte volatile. Igne admoto facilè inflammatur. Eo utitur ars veterinaria.

PLUMBUM sive Saturnus.

PLOMB.

Metallum cinericium cæruleoscens, mallei patientissimum, molle,

nulla vi elasticā. Ponderis ratio habetur 11 ,56. Igne citò fusile est; sub ignis vi in Oxidum vertitur.

PUMEX.

PIERRE-PONCE.

Vulcania materies, levis, spongiæ instar poris patens multis; dura, tactu aspera, filis vitreis glomerata compacta; Sub calamo fusorio vertitur in encaustum vitreum albicans. Hujus substantia ex silice, aluminâ, oxido ferri et sodâ unitis constat; in dentrificiis usurpatur.

Sal Ammoniacum. }
Armoniacum. } *Vide MURIAS Ammoniæ.*

Sal Catharticum amarum. }
Epshamense, vel potius } *Vide SULFAS Magnesiæ.*
Ebshamense.

Sal Gemmæ. }
Marinum. } *Vide MURIAS Sodaæ.*

Sal Sedlitzense. *Vide SULFAS Magnesiæ.*

SAPO communis.

SAVON du commerce.

Paratur in officinis majoribus ex alkalibus et oleo unitis. Medicis in rebus admittitur saponis species venalis duplex.

1°. *Sapo albus Massiliensis* (*Savon blanc de Marseille*). Gignitur ex Soda Olivo unitâ; albus est, unguinosus; Aquâ purâ plenè solvit.

2°. *Sapo viridis nigrescens* (*Savon vert ou noirâtre*). Potassâ conficitur et crassioribus oleis, quæ exprimuntur in Galliâ septentrionali ex seminibus brassicarum (*rabette, colsa*), aut ex cannabinis (*chenevit*); paratur etiam cum ipsis olivi fructibus in Galliâ meridionali.

Mollis est, unguento similis, obscurè virescit. Alkalinâ vi prepollet.

Soda. *Vide CARBONAS Sodaæ.*

STANNUM.

ÉTAIN.

Metallum album, mallei patiens, cujus ponderis ratio æqual 7,296. Facillimè fusile, igne in oxidum vertitur, quod acido nitrico solvi nequit.

STIBIUM. — Regulus Antimonii.

ANTIMOINE. — Régule d'Antimoine.

Metallum ex albo cœrulescens, fragile, lamellis compactum, cujus ponderis ratio habetur 6,702. Ignè facile funditur, et ubi refrigerescit, in crystallos concrescit.

SUCCINUM. — Karabe. — Electrum.

SUCCIN. — Ambre jaune.

Bitumen solidum, durum, fragile, pellucidum plerumquæ aliquoties opacum, colore flavo ut plurimum puroque, modò saturato, modò dilutiori; affrictum vim concipit electricam; igne funditur, et in flam-mam solvitur; ex destillato acidum prodit succinicum.

SULFAS Acidus Aluminæ et Potassæ, — Alumen.

SULFATE Acide d'Alumine et de Potasse. — Alun.

Duplici connubio hoc in Sale acidum sulfuricum alumine et Potassæ unitur, sive naturæ beneficio, sive artis industriæ. Concrescit in massas pellucidas, vitri aut glaciei instar; quarum ad superficiem octaedrorum extant et facies et anguli. Sapore stypticus, solvitur aquâ, cui si aut Potassam aut Ammoniam adjicias, præceps subsidebit alumina terra, quam Potassâ insuper additâ solves iterum.

Præaliisom pluris erat Romanum dictum Alumen (*Alun de Rome*), rubro colore tinctum, admixto ferri oxido. Gallicum hodiè non minoris est pretii. Huius sæpè inest aliquid Sulfatis Ammoniæ, in Potassæ Sulfatis locum.

SULFAS Barytæ.

SULFATE de Baryte. — Spath pesant.

Sal Aquâ non solubile; crystallos parit cinereo colore pellucidas, aut coéantes in massas translucentes, quas inter lux reflexa splendide

emicat. Ponderis ratio æquat 4 ,298 — 4 ,471. Hujus Prunis injecti superficies in pulverem non fatiscit.

Ex eo eruitur Baryta, ex quâ varia Salia parantur, quæ sibi adscivit medicina recentior.

SULFAS Calcis.

SULFATE de Chaux.

Ægrè admodum Aquâ solvitur; magnâ copiâ reperitur, modo in crystallos pellucidas, laminis superpositis compactus, lapis dictus specularis; Selenitem, quoque dixeré; modo concretus habetur in massas opacas alienis plus minusve remixtas, *Gypsum* dicunt. Ponderis ratio 2 ,264—2 ,312. Prunis injectus in pulverem solvitur.

SULFAS Cupri. — Vitriolum cœruleum.

SULFATE de Cuivre. — Vitriol bleu.

Concrecit in crystallos cœruleas, sapore subaci et perquam integrato; Aquâ facilè solvitur; cui si prussiatem Potassæ injicias, rubrum ponet sedimentum; posito autem ab injectâ Ammoniâ sedimento, hanc si addideris itâ ut supereret, sedimentum resolvitur et vividissimè cœrulescit. Si soluto Cupri Sulfati Ferrum immerseris, hujus superficies metallico Cupri nitore contegetur.

SULFAS Ferri. — Vitriolum viride.

SULFATE de Fer. — Vitriol vert.

Crystallos parit smaragdinas, stypticas, sub dulces, Aquâ solubiles; ex quibus præceps agitur pulvis cinereus, in nigrum admixtis alkalibus convertendus; in cœruleum autem, si admisceas prussiates alkalinos; si demum sub aëris contactu infuso gallarum remisceatur, violaceum colorem non nihil carulescentem induet.

Sæpius hic Sulfas cupri Sulfate remixtus invenitur; quo liberabitur, si scobe ferri sub ipso aquâ soluto macerata, ipsum deinde in crystallos solidescere curaveris.

SULFAS Magnesiæ. — Sal Ebshamense. — Sedlitzense. — Catharticum amarum.

SULFATE de Magnésie. — Sel d'Epsom. — Sel de Sedlitz.

— Sel Cathartique amer.

Ex aquis fontium quorundam mineralium vaporando extrahitur

albus, in minutis crystallos coactus, amarus, facile admodum aqua solubilis; admixtis autem sub-carbonatibus alkalinis pulverem album præcipitem subdividere sinit.

SULFAS Sodæ. — Sal Glauberi.

SULFATE de Soude. — *Sel de Glauber.*

Ex Fontibus Lotharingiæ salinis extrahitur, aut etiam in artium variarum officiis paratur; in crystallos minutis vulgo concretus speciem prefert Magnesiæ Sulfatis; at non est amarus aqua; linguam autem frigore perfundit impositus, et si aqua soluto admiscueris alkalinos subcarbonates, nullum pulverem præcipitem agit.

SULFAS Zinci. — Vitriolum album.

SULFATE de Zinc. — *Vitriol blanc.*

Post sulfuretum Zinci igne prius ustulatum, lixiviat faciat, vaporando extrahitur. Cogitur in massas, prismatum formâ, albas, crystallis compactas nullo ordine confertis, sacchari instar; semper parte aliquâ sulfatis ferri inquinatur unde sub aëris contactu ferrugine tingitur. Aquâ facile solvitur, sapore asper styptico. Additâ Ammoniâ, pulverem album præcipitem agit, qui auctâ Ammoniæ quantitate iterum solvitur.

SULPHUR aut SULFUR.

SOUFRE.

Materies simplex, solida, flavescens, fragilis, flammam suscipere valens, cuius ponderis ratio est 1,99. Vim electricam afficta concipit, quaem resinae solent. Igne Sulfur facilè liquatur, et sublime fertur. Dam uritur flammâ lambitur cærulea, et Sulfurosum parit acidum, pulmoni inimicum, cuius vi suffocatur spiritus.

Nativum inveniunt Sulfur in massas concretum, crystallis inordinatè compactis, modò purum, modò heterogeneis inquinatum. Dicitur tunc *vivum Sulfur* (*Soufre vif*).

Idem si liqueatur aut sublimetur, puram evadit, et venale sic prostat aut cylindrorum formâ, *Soufre en canons*, aut in leves lamellulas tenacum, *Flores dicunt Sulfuris*. Hi vero flores, acido sulfurico mixti, facile sub aëris contactu humescunt; adeoque sollicitè eluendi sunt, ut omni acido careant.

SULFURETUM Arsenici luteum. — Auripigmentum.*SULFURE d'Arsénic jaune. — Orpiment.*

Solidum, flavum, in lamellas concretum flexiles; aliquoties tamen compactum et fragile reperitur; exustum, odorem spargit alliaceum acidi sulfurosi vaporē mixtum.

SULFURETUM Hydrargyri rubrum. — Cinnabari et Cinnabaris.*SULFURE rouge de Mercure. — Cinnabre.*

Nativum invenitur, et ex eo hydrargyrum extrahitur. Quod venale est, vulgo arte paratum fuit mixtis atque unitis Hydrargyro et Sulfure. Tunc in placetas formatur aciculis compactas, metallico nitore, ex cinereo violaceas, qui color in splendide rubrum vertitur, si duro corpori affricetur Cinnabaris, aut in pulverem teratur. Ponderis ratio est 10,218. Injectum prunis sublime avolat, hujusque vapor, frigidis corporibus hærens, concrescit in globulos Hydrargyri liquidi metallicos.

SULFURETUM Stibii. — Antimonium crudum.*SULFURE d'Antimoine. — Antimoine cru.*

È terrâ effoditur; dum igne liquatur purum fit. Hujus massæ aciculis coagmentantur parallelis, metalli splendore, colore cærulecenti murino. Ponderis ratio inter 4,335 et 4,516 subsistit. Ad cerei flammam si admoveas, funditur; in prunas si conjicias, Acidi sulfurosi odorem spargit; si Acidum Hydrochloricum affuderis, Hydrosulfuricum olet.

Terra sigillata. *Vide ARGILLA.*

TUTHIA.*TUTHIE.*

Mixtis constat oxido Zinci, metalloque; spiraculis inhæret caminorum quibus liquatur gleba Zinci, ut in orichalcum mutetur. Tuthia, præter Oxidum Zinci, accedit et Terræ non nihil, et aliquoties Oxidum cupri aliquod. Crustas constituit, quā parte camino non inhærent, in glo-mulos concretas, colore cinereo, modò diluto, modò saturatiōri.

Viride Æris. *Vide ACETAS Cupri crudus.*

Vitriolum album. *Vide SULFAS Zinci.*

Vitriolum Cœruleum. *Vide SULFAS Cupri.*

Vitriolum viride. *Vide SULFAS Ferri.*

ZINCUM.

ZINC.

Metallum album, sub-cœruleum, mallei patiens, cuius ponderis ratio est 7 , 190 , facile fusile, et, ubi igne rubescit, in flamas erumpens; solubile Acidis aquâ dilutoribus; soluti liquor colore caret.